



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare Spiritus S. cum sit de substantia patris, non dicatur genitus, sed tantum procedens. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Ioannis 15.
August. ad
p. incipium
cap. 27.*

Ioan. 7. b.

*Aug. ad finē
ca. 16. lib. 15.
de Trin.
Ioan.,*

lio procedat Spiritus sanctus. Vnde August. in 15.
de Trin. quærit: Si de patre & filio procedit Sp. S.
cur filius dixit: De patre procedit: Cur putas, ni-
si quia solet ad eū referre, etiam quod ipse est, si-
cut & de quo ipse est: sicut ait, Mea doctrina non
est mea, sed eius qui misit me. Si ergo hic intelli-
tur eius doctrina, quā tamen non dixit suam, sed
patris, quanto magis illic intelligendus est Sp. S.
de ipso procedere, vbi sic ait, de patre procedit: vt
non diceret de me non procedit. A quo autem ha-
bet filius vt sit Deus (est enim Deus de Deo) ab illo
vtrique habet, vt etiā de illo procedat Sp. S. Et ideo
Spiritus sanctus vt etiam de filio procedat, sicut
procedit de patre, ab ipso habet patre. Quapro-
pter qui potest intelligere in eo quod ait filius ha-
bet pater vitam in semetipso, sic dedit & filio vi-
tam habere in semetipso: non sine vita existenti-
am filio vitam patrem dedisse, sed ita eum sine
tempore genuisse, vt vita quam pater filio gig-
nendo dedit, coæterna sit vitæ patris qui dedit.
Intelligat etiam licet habet pater in seipso, vt de
illo procedat Sp. S. sic dedisse filio, vt etiam de illo
procedat idem Sp. S. & vtrumq; sine tēpore. Ita er-
go dictum est Sp. S. de patre procedere, vt intelli-
gatur quod etiam procedit de filio, de patre esse
& filio: Si enim quicquid habet, de patre habet fi-
lius, de patre habet vtiq; vt de illo procedat Sp. S.
sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habeant
prius & posterius: quia ibi omninò nulla sunt.

*QVARE SPIRITVS SANCTVS CVM SIT
De Substantia Patris, Non dicatur genitus vel
filius, sed tantum procedens.*

DISTINCT. XIII.

POST hæc cōsiderandum est, quantum à talibus
quales nos sumus intelligi potest, cū Spiritus
sanctus procedat de patre, & sit de substantia
patris

patris, cur non dicatur esse natus, sed potius pro-
cedere: & cur dicatur filius? Quare autem Sp. S.
non dicatur vel sit natus, & ideo non sit filius,
August. ostendit in 15. lib. de Trin. dicens, Si spi-
ritus sanctus filius diceretur, amborum utique fi-
lius diceretur: quod absurdissimum est. Filius quippe
nullus est duorum, nisi patris & matris. Absit au-
tem ut inter Deum patrem, & Deum filium tale
aliquid suspicemur. Absurdissimè ergo filius dice-
retur amborum, id est, patris & filii. Amborum
enim filius diceretur, si eum ambo genuissent:
quod abhorret omnium sanorum sensus. Non er-
go ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque
amborum spiritus. His verbis ostenditur, cur Sp. S.
cū sit de patre, nō tamē dicatur genitus, vel filius.
Cum spiritus sanctus non dicatur genitus, cur filius dica-
tur procedere.

Cap. 27. Nō
lōge à prin-
cipio.

Cap. 26. e-
iusdem lib.
15. in fine

B

CVM autem spiritus sanctus non dicatur geni-
tus, sed tantum procedens, quæri solet cur filius
non dicitur tantum genitus, sed & procedens. Si-
cut ipse in Euangelio Ioannis ait, Ego ex Deo pro-
cessi vel exiui, & veni in mundum. Non ergo tan-
tum sp. S. procedit à patre, sed etiam filius. Ad quod di-
cimus, quod cum uterque procedat à patre, dissi-
militer tamen. Nam sp. S. ut ait Aug. in lib. de Trin.
procedit à patre non quomodo natus, sed quo-
modo datus vel donū: Filius autē processit naseē-
do, exiit ut genit⁹. At per hoc illud elucescit ut po-
test, scilicet cur spiritus sanctus etiam non sit filius,
cum & ipse à patre exeat. Ideo spiritus non dicitur
filius, quia nec natus est sicut unigenitus: nec
factus, ut per Dei gratiam in adoptionem nascere-
tur sicut nos.

Augu. cap.
14 lib 1. de-
Trinit. ad
principiū.
Ioannis. x.

ap. 14 cō-
tinuo.

Quod non potest distingui à nobis inter generationem filii
& processionem spiritus S.

C

INTER generationē vero filii & processionem
Sp. S. dum hic vivimus, distinguere non sufficimus.

E 5

mus.